



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

12. An circumstantia interruptionis actus interni sit in confessione torques,  
quoties exprimenda? Ex p. 3. tr. 4. res. 94. alias 95.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

alia præcepta positiua posse ab aliquibus inuincibiliter ignorari; vt autem Confessarius iudicet, an circa supradicta ignorantia sit inuincibilis, recurrit ad doctrinam superius positam, discutendo an in mentem penitentium dubium aliquod vel saltem scrupulus de huiusmodi malitia venerit, si enim nihil horum venerit, ignorantia reputabitur inuincibilis.

RESOL. XII.

An circumstantia interruptionis actus interni sit in confessione toties quoties exprimenda? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 94. aliàs 95.

**P**lausibilis erit hæc quæstio Confessariis. Igitur supponendum Melchiorum Canum in relect. de penit. p. 5. docuisse dupliciter interrumpi posse aliquam voluntatem, primò contraria voluntate, & tunc necesse est confiteri, quoties prauam voluntatem quis renouauit. Si verò interruptio fiat naturali obliuione, aut inconsideratione, non oportebit numerum exprimere, sed dicere, Toto menle, v. g. amari Mariam, etiam si possit numerus exprimi. Hæc in sententia Cani, quam falsam putant Nugnus in addit. ad 3. p. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 1. & Valquez in 3. part. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 5. num. 10. vbi ait: Exitimo falsissimam opinionem Cani, quia reuera sunt plura numero peccata, quando repetitur sapissimè eadem voluntas, etiam si nunquam fuisset retractata actu contrario. Nullam enim continuitatem video in his voluntatibus, cum vna ex alia non dependeat, tam quando interruptæ sunt naturali obliuione, quam quando interruptæ sunt contraria voluntate. Ita Valquez, & communiter DD. & ego.

2. His tamen non obstantibus opinionem Cani, quam falsam vocauerunt Valquez, & Nugnus, nouissimè viri doctissimi amplexi sunt, quorum verba accipe. Ioan. de la Cruz Dominicus in direct. confitent. part. 2. de Sacrament. Penitent. q. 3. dub. 6. Si intra aliquod tempus renouasti pluries cogitationes intereas per cessationem, somnum, aut aliam occupationem, non teneris explicare singulas renouationes; cum omnes illæ censeantur vnum peccatum in genere moris, et si materialiter multiplicentur, sit est enim explicare tunc tempus illarum cogitationum; secus si illæ cogitationes interrumpantur per actum contrarium. Ita ille, & ex eadem familia Dominicanorum familia Petrus Fay disp. de sacram. Penit. in addit. ad 3. part. D. Thomæ, quæst. 9. art. 2. disp. 5. ad 4. arg. sic asserit: Oportet aperire tempus, quo actum peccati quis conuauit, si notabile fuerit, v. g. permansit aliquis in turpi cogitatione per integrum diem, aut hebdomadam, debet hoc penitens confiteri. Non est tamen necessarium dicere vices, quibus cogitationem illam repetit, quando non fuit interrupta per actum contrarium, sed solum per cessationem, aut occupationem in aliis. Ratio est, quia repetitio illa non efficit distinctum numero peccatum mortale in genere moris; sed tantum vnum æquiualens pluribus. Idem dicendum proportionabiliter, quando quis per mensem, aut annum continuauit odio prosequi aliquem, neque toto illo tempore interruptit actum contrario. Ita Fay, licet contrarium asserat Bonacina de Sacrament. disp. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diffie. 2. n. 5. Sed audiamus Phigianum in 4. sent. tom. 2. dist. 17. quæst. vnica, art. 5. circa quintum, vbi sic asserit: Si interruptio actus mali facta est per actum contrarium, necesse est confiteri eam in confessione, pandendo vices, quibus eandem malam voluntatem renouauit. Sed si interruptio fuit naturaliter, non oportet explicare hu-

iusmodi renouationes, sed tantum eius continuationem, se notabilis est, veluti dicendo, per totum mensem desideravi hoc facere malum.

3. Et tandem hæc sententiam docet Homobonus de exam. Ecclæs. part. 1. tractat. 5. cap. 13. q. 83. ita asserens: Quando interruptio fieret alicuius negotij, aut alterius cogitationis occurrentis, vt cum quis, v. g. statuit fecinam, vt ea potiatur, alloqui, sed naturaliter ab aliis rebus distractus, & peregrina cogitatione absorptus illius propositi obliuiscitur, tunc cum se negotijs vacuum videns, pristinam illam iniquam voluntatem repetit, pandere vices, quibus illam renouauit, non tenetur penitens, cum vnicum tantum peccatum admittatur. Sic Homobonus, & ex parte hæc sententiam docet Salas Societ. Iesu in part. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. numero 85. vbi sic ait: Voluntas efficiendi aliquid peccatum externum, quamdiu opere non completur, nec interrumpitur per contrarium actum, licet physicè interrumpatur, & postea renouetur, vnicum tantum peccatum est. Intellige nisi inter ipsos actus voluntatis multum tempus intercedat, quia tunc censetur moralis interruptio. Ita Salas. Vnde ego, licet primam sententiam sequar, non condemnarem hæc secundam sequi volentem, vt confessio reddatur hominibus facilior, & amabilis, ac iugum Domini suauis. Sed circa præsentem quæstionem vide etiam Filiucium tom. 2. tract. 21. cap. 8. num. 317. Philarchum de off. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 22. Coninch de Sacrament. disp. 7. dub. 7. num. 52. Reginaldum tom. 1. lib. 6. cap. 4. part. 2. dub. 5. n. 118. Conradum in res. part. 2. q. 173. Lopez in instr. part. 1. cap. 13. quæst. 4.

RESOL. XIII.

An circumstantia scandali indirectè voliti sit in confessione aperienda? Sed difficultas, qua magis affligit in confessione est ista: an sit explicandus numerus personarum, quibus scandalum datum est, etiam vnicò peccato, vt quando v. g. peccauit quis publicè cogam multis, præbendo eis scandalum? Et quid est dicendum de alio casu passim occurrenti, nempe quando quis se accusat de delectatione rerum turpium ex colloquio cum aliis, an in tali casu teneatur explicare, & exprimere conditionem personarum astantium, an fuerint coniugata, soluta, &c. & teneatur etiam qualitatem sermonis, si videlicet fuerit circa coniugatos, circa solutos, circa nefandum vitium, &c.? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 113. aliàs 114.

**§. 1.** **Q**uis, v. g. induxit mulierem non paratam ad fornicandum non directà intentione, ex petendo ruinam ipsius & eo affectu, vt ipsa peccet, sed propter propriam delectationem, & vtilitatem; queritur an dicta circumstantia scandali sit in confessione explicanda? Aliqui negatiuè possent respondere, quia in tali casu circumstantia scandali est tantum aggrauans in eadem specie, vt docent expressè ex Societate Iesu Fagundez pr. 2. lib. 4. c. 4. n. 4. §. 5. & ex Dominicanorum familia Ledesma in sum. tom. 2. tr. 4. c. 5. concl. 5. & alij, vbi infra. Sed circumstantia taliter aggrauans, ex multorum sententia probabiliter non sunt in confessione explicanda. Ergo, &c.

2. Sed Doctores communiter contrariam sententiam docent, & ita ait Lorca in 2. 2. quæst. 43. sect. 3. disputat. 56. numero 7. scandalum actiuum quando non est speciale peccatum, est circumstantia, & ideo aggrauans, vt nimis auget peccatum, & sit in confessione explicanda. Qui enim esset causa

Sup. hoc infr. in Ref. 16. §. ult. à lin. 6. & in to. 7. tr. 5. Ref. 2. & lege doctrinam Ref. 1. nor. seq. & signat. 5. Et tandem, in principio, & inf. Ref. 116.

G g peccati